Fragmentarium

ve utique eum noctem quod inspiratur ei dor-
et indutus fugauit.

2 Legitur in libro numeri quia moyses ex precep-
to domini misit xii uiros ut explorarent terram
chanaan. Cumque explorassent terram uenerunt
in uallem botri ibique absciderunt palmitem cum
uua sua quem portauerunt duo uiri in uecte.
De malis quoque granatis et ficubus tulerunt. Re-
uersique post xl dies ostendentes fructus terre
dixerunt. Venimus ad terram ad quam misisti
nos. que reuera fluit lacte et melle. ut ex his fruc-
tibus cognosci potest. sed cultores fortissimos habet.
et urbes grandes et usque ad celum muratas. populus que
uidimus procere stature est. quibus comparati quasi
locuste uidebamur. Hec audiens populus murmu-
rauit et fleuit dicens. Constituamus nobis du-
cem et reuertamur in egyptum. Iosue autem et cale-
ph. qui et ipsi de exploratoribus duo fuerunt confor-
tabant eos dicentes. Nolite rebelles esse contra
dominum. quia sicut panem possumus eos deuorare. Cum-
que eos lapidare uellent et sedicionem facerent
dixit dominus ad moysen. In solitudine hac iacebunt
cadauera omnium qui murmurauerunt
a xx annis et supra. nec intrabunt terram quam
promisi. preter caleph et iosue. Cumque populus diceret pecca-
uimus. et ascendere uellet dixit moyses. Nolite
ascendere. non est enim uobiscum dominus. ne corruatis
coram inimicis uestris.

Legitur in hieremia. quod capta ierusalem nabucho-
donosor tribum iuda et beniamin duxit in ba-
bilonem. dimisit reliquias populi agricolas et uini-
tores. ne terra remaneret inculta. quibus prefecit
godoliam filium aicam. Quod cum audisset ismael fi-
lius nathanie. qui erat de semine regio. uenit
ad eum in masphat. et optimates regis. et x uiri
cum eo. et comederunt ibi panem cum godolia. Sur-
rexit autem hismael et x uiri qui cum eo erant. et in-
terfecerunt godoliam. omnesque iudeos et caldeos. qui cum
eo erant in masphat. Quod cum audisset iohannes
filius caree. et omnes principes bellatorum. qui erant
cum eo insecuti sunt ismaelem usque ad aquas ga-
baon. qui fugiens cum octo uiris abiit ad filios
amon. Timentes autem reliquie israel et iuda. ne propter
mortem godolie perderet eos nabuchodonosor. cum
uxoribus et filiis fugerunt in egyptum in ciuitatem
taphnis.

Legitur in tercio libro regum. quod heliseus arabat in
xii iugis boum. et ipse ex arantibus unus erat. Cum-
que ex mandato domini uenisset ad eum elyas misit pal-
lium suum super eum. qui statim relictis bobus cucur-
rit post eliam. et ait. Osculer oro te patrem meum
et matrem meam. Dixitque helias. Vade. quod enim me-
um est feci. Qui reuersus par boum tulit. et macta-
uit illud. et in aratro coxit carnes. et dedit populo.
et comederunt. Consurgensque abiit et secutus est e-
liam. et ministrabat ei.

2 Legitur in libro genesis. quod cum iacob timeret esau fra-
trem suum. fugeret in mesopotamiam sirie uenit
ad locum. qui uocabatur luza. et post solis occasum. tu-
lit de lapidibus. qui ibi iacebant subponens capi-
ti suo dormiuit. Vidit autem in somnis scalam stantem.
super terram. et cacumen eius tangens celum. angelosque
ascendentes et descendentes per eam. et dominum innixum sca-
le. dicentem sibi. Ego sum dominus deus abraham. et deus ysaac
patris tui. terram in qua dormis dabo tibi et semi-
ni tuo. eritque semen tuum sicut puluis terre.

In quarto libro regum legitur. quia cum naaman
princeps milicie regis sirie. iussu helisei septies lo-
tus in iordane. et a lebra mundatus recederet. giezi
puer helisei uidens quia dominus suus nil accepisset
ab eo. clam secutus est eum. dicens duos filios prophetarum
ad dominum suum mandasse uenire. quia eliseum
ut mitteret. ei naaman talentum argenti. et ue-
stes mutatorias duplices. et ligauit ei naaman
duo talenta in duobus saccis. et duplicia uestimen-
ta. misitque duos pueros. qui ferrent ante eum.
Absconditque ea giezi et remisit eos. Ipse uero ingres-
sus stetit coram domino suo. Cui dixit heliseus. Vn-
de uenis giezi. Qui respondit. Non iuit seruus tuus quoquam.
At ille ait. Nonne cor meum in presenti erat. Nunc
ergo accepisti argentum. et uestes ut emas. uineta (?) et
oues et boues. seruos et ancillas. Sed et lepra na-
aman adherebit tibi. et semini tuo in eternum. et egres-
sus est ab eo leprosus sicut nix. Non sed quosdam
giezi non pro inuidencia (?). sed pro mendacio dampnatur (?).
quod non placet.

Tangit istoriam de saule. qui cum quereret asinas pa-
tris sui. quas amiserat et non inueniret. uoluit re-
dire cum puero qui cum eo erat. ad samuelem ut
legitur in capitulo. iuit et a propheta honorifice
receptus est faciens uiam suam. i. uie causam. pro
qua uenerat edoctus. et adulterum (?) in regem israel unctus (?).

Legitur in tercio libro regum. quod primogenitus filius ierobaam regis israel
egrotauit. misitque ipse ierobaam uxorem suam
cum muneribus commutato habitu. ne cognosce-
retur ad achiam silonitem qui dixerat ei priusquam
regnaturus erat super x tribus israel. ut diceret
ei quod euenturum esset de puero. Qui cum intraret do-
mum prophete. per spiritum cognouit eam. Sali-

License: cc-by – Leipzig, Universitätsbibliothek, Fragm. lat. 30, 1v – Collection of paraphrased passages from the Bible and Gregorius Magnus, Dialogi (https://fragmentarium.ms/view/page/F-r5vy/159/2596)